



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

4. Nomen & Numen Fortunæ vnde ortum, & à quibus oppugnatum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

aut defuisse? in prœlijs, in negotijs, in venatu, in itineribus, in matrimonijs contrahendis, & denique, in qua re, non tribuunt primas *Fortuna*? Huic victoriæ, huic lucra, huic prædæ, huic optata omnia ascribuntur. Ita vanitas veritati, & Dea falsa, vero Deo antefertur. *Toto Mundo & locis omnibus*, ait Plinius, *omnibusq; horis, omnium vocibus Fortuna sola inuocatur, vna nominatur, vna accusatur, vna agitur rea, vna cogitatur, sola laudatur, sola arguitur, & cum conuicijs colitur: volubilis, à plerisq; verò & cæca etiam existimata, vaga, inconstans, incerta, varia, indignorum faulrix. Huic omnia expensa, huic omnia feruntur accepta, & in tota ratione mortalium sola vtramq; paginam facit; adeoq; obnoxia sumus sortis, ut fors ipsa pro Dea sit.* Nisi quòd *Fortunum* Deum à Philosophis quibusdam dictum, quam vulgus *Fortunam* nominat Lactantius & Arnobius referunt & refellunt. Parum enim refert, virum an fœminam esse fingas, si mentiaris.

S. Augustinus, quia ipse tempore multæ adhuc supererant reliquiæ Gentilium *Fortunam* pro Dea habentium, ne illis daretur occasio errandi, aut superstitio eorum autoritate ipsius confirmata videretur, etiam quòd nomen *Fortuna*, licet bono veròque sensu, vsurparit, seipsum reprehendit. Refert ergo plurimum, ad diuinæ Prouidentia laudes redintegrandas; errorèmq; plus, quàm vulgò putatur, perniciosum rudi popello eripiendum, vt ostendamus, nec *Casum* pro Deo, nec pro Dea *Fortunam*, sed, in vtrisque, Deum verum rebus humanis omnibus dominantem esse agnoscendum. Veteres enim, quia latentes antea, subitoque erumpentes inexpectatos euentus animaduenterunt, quorù causam cum ignorarent, nec tamen nullam esse, sibi persuaderent, occultum quoddam Numen esse, à quo ij prouenirent, id est, *Fortunam* statuerunt, ipso Cicerone dicente: *Ignoratio rerum atq; causarum Fortuna nomen induxit.* Testatur Nicephorus, nonnullos Græcos Philosophos pugnauisse *præstantibus libris aduersus Epicuri sectatores*, *Fortunæque cultores.* quod & Paulinus fecit epist. ad Iouium, & S. Hieronymus in cap. 65. Isaia, ad illud: *Ponitis Fortune mensam, aliisque.*

Egregiè Lactantiùs hanc superstitionem, vnà cum origine sua, attingens, antiquos stultos potiùs, quàm sapientes perstrin- git, his verbis: *Non dissimili errore credunt esse Fortunam, quasi Deam quandam res humanas varijs casibus illudentem; quia nesciunt, vnde*

Ff

sibi

Plin. lib. 2.
Lactant. l. 3.
c. 28. & 29.
Arnob. l. 3.

I V.
S. Augustin.
l. 1. Retract.
c. 1.

Nicephor.
lib. 10. hist.
Eccles. c. 26.

V.
Lactant. l. 3.
diuinar. In-
stitut. c. 27.